



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Udalricus Episc. 4. Iulii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

4. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 423
tam sanctâ rectius proficeret, illite-
ratus videri voluerit. Sed Itali instito-
res, quibus iter illac erat, aperue-
re, quam doctæ merces sub rudi cucullo
laterent. Itaque primò scholis, mox a-
ceteriis, tum etiam Cantuariensi Eccle-
siæ præfectus, anno M. LIX. nobilem
hæreticum Berengarium, spectante &
applaudente Româ, devicit. Triumphum
tamen illi mors in annum LXXXIX. di-
stulit. Ex *Arnoldo Wion.*

*Huius vitæ dulcedinem relinquentes, jam
nunc de futuris sæculis quotidie cogitando
etiam in hoc corpore prægustare conemur;
& exclusâ de sensibus nostris secularium
desideriorum amaritudine, quendam beati-
tudinis saporem cordibus nostris attraha-
mus. B. Cæsar hom. 26.*

S. UDALRICUS EPISC. 4. Iulii.

Multum ætas tenera nutricibus de-
bet, quæ lac dederunt; plus illis,
quæ pietatem instillarunt. Ipse è cælo
UDALRICUS adstipulabitur. Hunc
puerum Wiborada sanctissima virgo levi-
culè fortè cinctum castiore de lino cin-
gulo donavit, iussitque primò liberiori-
bus sermonibus nec linguam daret nec
aurem; tum, quos mundus socios dicti-
tat, hostes duceret; mollem Cupidinem
cilicio absterreret, ejus flammis sub
pectore grassantibus, verbis Ecclesiæ

D d 4 in

424 VITÆ SANCTORUM. 4. Iulii
in adiutorium Deum exciret, simul digito
in focum immisso incendiis incendia op-
poneret; feminas denique, vel se feminã
auctore, fugeret. His monitis velut lacte
virtus UDALRICI crevit ridentis irridentium
coavorum turbam, qui cum ludibrio,
sed sine mendacio, Sanctum iam
tum clamabant. Sed graviora testimonia
iam Pontifici cælum dedit, è quo manus
delapsa sacrificare cum UDALRICI manu
est visa. Fluvium nunc in perforatã navis,
nunc sine illã siccus trajecit. Contra Bar-
baros Augustam Vindelicorum obsiden-
tes Ottoni Imp. præsentia suã nobilem
victoriam peperit: *Virginis Augustanæ*
bona adversus rapaces manus tutatus
commilites Cælites habuit, qui variis
pœnis in prædones pugnarunt. Multis a-
liis miraculis illustris, fassus tamen est
pœnas se Numini debere, quòd successo-
rem sibi nepotem (cetera dignum) legis-
set. Proinde non nepotes, sed pauperes
fecit hæredes, in quos moriens etiam su-
pellectilem sparsit. Sed nimirum sic vasa
colligunt Pontifices in cælum migraturi.
Ex vitã.

*Quid tibi necesse est, in eã versari domo,
in quã necesse habes quotidie aut perire aut
vincere? Quis juxta viperam securos som-
nos traxit? quæ etsi non percutiat, cer-
tè sollicitat. Securius est, perire non pos-
se, quàm juxta periculum non perisse.*
S. Hier. Ep. 47.

S. WIL.